

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Friedrich Wieland

Dissertatio inauguralis medica sistens Annotationes quasdam medicas ad Blennorrhoeae siphiliticae in sexu potiori historiam pathologicam, et illius curandae methodum


Rostochii: Litteris Adlerianis, MDCCCXVI.


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1007499419>

Druck Freier  Zugang



OCR-Volltext





Dissertatio inauguralis medica

s i s t e n s

Annotationes quasdam medicas

a d

Blennorrhoeae siphiliticae in sexu potiori
historiam pathologicam, et illius curandae
methodum

Quam

p r o i m p e t r a n d o
i n A c a d e m i a R o s t o c h i e n s i
Gradu Doctoris

e x a m i n i p u b l i c o s u b m i t t i t

F r i e d e r i c u s H e n r i c u s W i e l a n d

R o s t o c h i e n s i s .

R o s t o c h i i
L i t t e r i s A d l e r i a n i s
M D C C C X V I .



V i r i s

Amplissimis, Praenobilissimis, Doctissimis,

hūjus

Academiae Professoribus celeberrimis,

Dr. Iohanni Guillielmo Josephi,

Ordinis Ludoviciani Hassiaci Equiti,

Rerum medicinalium in militia Meklenburgico-
Suerinensi Praefecto summo,

Medicinae Professori Publico Ordinario,

Scholae obstetriciae a Serenissimo Magno Duce
Rostochii constitutae Directori,

plurium societatum literiarum Sodali,

&

Dr. Georgio Henrico Masio,

Medicinae Professori Publico Ordinario,

complurium Societatum literiarum membro

Praeceptoribus suis summa veneratione colendis


pietatis gratique aeternum animi

testificandi caussa

primum hocce artis suae specimen

sacrum esse voluit

A - u - c - t - o - r.



Pars prima.

*Annotationes ad historiam pathologicam
blennorrhoeae siphiliticae.*

§. 1.

Definatio morbi.

Blennorrhoea siphilitica est muci in sexu posteriori ex urethra veneno siphilitico corrosivo illita effluvium.

§. 2.

Nomen morbi.

Graecorum vocabulum *βλέννα*, quod est *mucus*, et verbum *ρέω, fluo*, vocem *blennorrhoeae* componere satis appareat. *Gonorrhoeae* autem donominationem utpote huic morbo minus convenientem, rejiciendam ideo censemus, quod in eo non *γόνη*, semen, sed *βλέννα*, mucus ex urethra destillat.

Nomen *siphilis* non, ut celeberrimus de Sauvage *) aliique putarunt, a graecis συφιλίς, cum et φιλεω amo, seu ab amore mutuo originem habet, sed a σιφλος, *impurus*, (et si cui placet φιλεω) seu ab amore impuro; quare rectius scribitur *siphilis* quam *syphilis*.

*) Vid. Francisc. Boisier de Sauvage nosologia methodica T. II. Amstelod. MDCCCLXIII. Ce. X. Cachexiae XXVI. Syphilis p. 559.

§. 3.

Causa morbi.

Duplex caussa morbi est, interna altera, altera externa. Internam nomine dispositio-
nis insignius, externam autem contagium ipsum esse venereum ad vaginam uteri dela-
tum satis patet.

Dispositio est corporis vivi facultas vel na-
turalis vel morbosa nocentes quosdam influxus
recipiendi inque illos certo modo et sub con-
stantibus signis reagendi. Imprimis ob illius
dispositionis diversitatem alia animalium genera
aliis morbis subjecta videmus. Ad recipiendum

venererum contagium animalia omnia praeter simios, de quibus tamen ambigua adhuc res est, ac hominem, omni facultate carent. Canes quidem ex inoculatione penis ab ulceribus venereis facta nil mali passos experimenta Doctoris Altenhofer *) nuperrime instituta nos docuerunt.

Humani corporis partes sensibilitate praeditae quamvis ad morbum venereum recipiendam facultate gaudeant omnes, morbus tamen ipse pro diversis partium functionibus multoties temperatur et in forma multiplici modo mutatur. In organis secernentibus principue mucum producentibus dispositio morbosae muci secretioni fayet, in cute exanthematis eruptioni, et sic porro. Ubi contagium vulnera tangit, ibi ulcera venerea oriuntur. Partium vitalium hanc facultatem, qua quolibet corporis organon contagio siphilitico affectum uni eidemque morbo aliam atque aliam speciem et formam imprimit, specificam seu topicam dispositionem nominamus.

Homo quamquam natura ad morbum venereum contrahendum proclivis est, idque malum illi proprium existimari debet, minime

tamen is sub omnibus conditionibus et omnibus temporibus venenum pari facilitate recipit, sed ea et coelo et corporis constitutione aliisque rebus temperata, nunc aucta nunc item immunita. Unius partis, quo tempore infectio fit, major prae ceteris irritatio aut alterius sensibilitas aucta, huius illiusve specificam dispositionem adauget, speciemque morbi partis, quae infectionem receperit, functioni adaptatam excitat. Sic haemorrhoidarii, virique qui antea jam ex urethra mucum stillarunt, facilius sanis blennorrhoea corripiuntur, minime vero ulceribus infestari solent.

Externam blennorrhoeae siphiliticae causam contagium esse venereum contendimus quamvis multis iisque celeberrimis medicis dissentientibus. Sunt enim non pauci, qui propriam materiam, qua sub impuro concubitu blennorrhoea excitetur, agnoscant, eandemque ab venerea discrepantem statuant. His autem opponimus

- 1) id quod antiquiores medici tradunt: morbum siphiliticum per plurimum annorum spatium sine blennorrhoeae vestigio observatum esse. Gabriel Fallopius **) in ca-

pite de signis morbi gallici dicit: „ultimum
„signum est gonorrhœa gallica, signum in-
„cipientis morbi, quae nobis indicat istius
„Protei naturam. Primi illis diebus per
„spatium XL. annorum, non erat deslûvium
„pilorum; agitur iam XXX annus, quo
„hoc deslûvium incepit, non sunt quinde-
„cim anni, quibus observata est gonor-
„rhœa gallica.

„Ex quo colligimus variam esse naturam
„morbi, et possumus expectare nova sym-
„ptomata, utinam levia sint.“

Celeberrimo Sprengel *** auctore blen-
norrhoa venerea non ante annum p. C. n.
millesimum quingentesimum vicesimum
apparuit, lues vero ab eo tempore mitior
regnavit.

2) perspicacissimi John Hunter ****) experi-
menta, quibus probatur materiam blen-
norhoicam ad sanos delatam nunc blennor-
hoeam, nunc vero ulcera siphilitica et
luem universalem procreare, et e contrario
pus virulentum ex ulcere venereo sumtum,
in aliis blennorrhoeam, in aliis ulcus vene-
reum et universalem luem gignere.

3) observationes medicorum curam aegrotorum morbo gallico inquinatorum exercentium eorumque testimonia.

Ne superflua proferre credar, novas tantum narrationes gallici medici celeberrimi Culgeries tango, quas quidem Lagneau †) nuper publici iuris fecit. Ex meretrice fluore albo venereo laborante, ulceribus tamen quamquam exploratione ter quaterque repetita neutiquam detectis, trium iuvenum, qui eadem nocte cum ea coierant, unus quidam blennorrhoeam alias bubonem contraxit, tertius autem intactus campum reliquit. — J. Hunter (l. c.) historiam hominis prodit, qui bis blennorrhoea affectus et sine mercurio curatus utroque tempore incommoda generalis luis ex iisdem infectionibus expertus est. Nam post primam infectionem apparuerunt ulcera venerea in palato, post alteram pustulae totam corporis superficiem maculantes prodire. Verum quidem est, omnes res externas internasque, in urethrae membranam mucosam nocive agentes, illamque aut chemico aut mechanico aut dynamico modo laedentes et inflammantes, nimiam ex ea muci secretionem elicere posse, hanc ipsam.

vero secretionis morbōsam mutationem et inflammationem illam concitantem, eandem semper, ejusdemque in omni casu naturae esse, falsum contendimus. Causa quaelibet, dummodo secretionem mutare satis valeat, id proprio et specifico modo certe efficit, inflammationique secretionis mutationi adhaerenti propriam formam imprimit. Quare secretionis alienatio, quam materia siphilitica provocat, vera siphilitica est, et secretum, quod sub specie muci ex urethra guttatum stillat, contagium sincere venereum absque dubio continet.

*) Vid. Dr. Ludw. Altenhofer, Arzt des kalenki-
schen Hospitals für männliche siphilit. Kranke
in Petersburg; Beobachtungen über die Natur
und Heilung der Sifphilis. Russische Samm-
lungen für Naturwissenschaft und Heilkunde,
herausgegeben von Dr. Al. Crechton, Dr. Jo-
hann Behmann und Dr. Carl Friedr. Burdach.
1st. Bd. 1st. Heft. Riga und Leipzig 1815.
II. S. 25.

**) Vid. de morbo gallico tractatus, venet. 1565.

***) Vid. Kurt Sprengels Handbuch der Patholo-
gie. 3r Theil S. 531.

****) Vid. John Hunter tract. on the venereal
diseases. London 1786.

†) L. v. Lagneau die Kunst alle Arten der Lustseuche zu erkennen und zu heilen. Erfurt und Gotha. 1815. S. 29 und folgende.

§. 4.

*Resolvitur quaestio: cur idem contagium nunc
ulcera et venerea et universalem luem,
nunc vero blennorrhoeam excitet?*

Praeter topicam dispositionem plures aliae res, quae formam luis venereae in aliis atque aliis infectionis casibus constituunt, in censem veniunt, quae ad propositae quaestionis resolutionem circumspecte considerari debent. Sunt haec:

1) Dispositio ad suscipiendum contagium universalis, quam supra iam monuimus non omnibus corporis individuis non omni tempore nec sub omni coelo et tempestate eandem esse, eaque aut major aut minor. Majorem cui dedit natura venenum recipendi facultatem, is saepius faciliusque universalis lue corripitur, sed e contrario minori dispositioni praeditus topicis mere affectibus cruciatur.

- 2) Modus quoque coëundi momentum habet.
Impetu suis qui agit, qui citius semen ejaculat, et colem ex impura vagina celerius retrahit, saepius certe blennorrhœa quam lue universalis violatur.
- 3) Sub coelo sereno et calido ulcera venerea rarissime inveniuntur, eo saepius autem blennorrhœa. Mungo Park, celebrissimus ille et infelicissimus torrentium Africæ locorum peragrator, inter horum incolas blennorrhœas quidem siphiliticas, minime vero certe rarissime, ulcera venerea vidit. Ejusdem observationes inter Aethiopes facienda Rodscheid et Winterbottom *) occasionem nacti sunt.

Tempore aestivo complicationem ulceris venerei cum blennorrhœa saepius sibi vim quam hyeme, refert Altenhofer **).

- 4) Materia siphilitica ad superficiem mucum secernentem delata fluorem mucosum, alioquin luem universalem, excitat. Si venenum locum corporis vel epithelio tenuissimo obtectum, ut labia, vel eo denu datum tangit, saepissime ulcera venerea oriuntur. Viri quibus glans penis longiori

praeputio obtecta est, facilius quam quibus summa haec membra virilis pars denu data est, veneno laeduntur, ulceribusque in ea cruciantur.

Materiam venereum ex variis individuis virositatis et efficaciae gradu differre, verosimillimum quidem minime vero evictum est.

*) Vid. Friedr. Schnurrer geographische Nosologie, oder die Lehre von den Veränderungen der Krankheiten in den verschiedenen Gegenden der Erde. Stuttgart 1813. Abschn. III. S. 476.

**) l. c. S. 30.

§. 5.

Caussa proxima.

Mutationem corporis vivi ex concursu omnium remotarum eius caussarum natam, qua morbus ita constituitur, ut indissolubili nexu cum ea cohaereat, scriptores medici caussam morbi proximam nominant. Recte alii monuerunt, hanc mutationem esse morbum ipsum, nullaque in parte ab eo posse discerni, quorum opinioni nos libenter accedimus. Morbi itaque, de quo loquimur,

caussam proximam secretionem tantum in urethra specifico modo perversam affirmamus esse, quam semper quidem inflammatio comitatur, neutquam vero ortum ex ea dicit. Dolendum sane est, relationem inflammationis ad morbos contagiosos omnino ignorari, vix tamen possumus, quin morbum contagiosum ex inflammatione gigni negemus, inflammationem vero ab efficacia contagii in corpore ingravescens proficisci contendamus. Quibus praemissis naturam blennorrhœacē seu caussam eius proximam ita definire haud dubitamus: esse auctam atque specifice diversam et peculiarem partis in uteri vagina mucum secernentis actionem sub signis molestiisque inflammatoriis eandem materiam siphiliticam, qua ea pars illita est, regenerantem.

§. 6.

Sedes morbi.

Omnes cryptae et glandulae muciferae per totum vaginae uteri tractum sparsae puriformem mucum secernere possunt, hasque omnes morbo obnoxias videmus. Errant itaque ii,

qui in partem vaginae uteri nomine fossae navicularis designatam prae caeteris culpam sedis blennorrhoeae coniiciunt, quum mille observationes sibi habeant repugnantes. Quodsi materia inficiens in eo, qui coitum impurum primum exerceat, primo introitu penis ad naviculariem tantummodo fossam de- duceretur, tamen, quum ad anum etiam et palpebrarum glandulas eandem materiam de- ferri hisque in locis blennorrhoeam excitare videamus, caussa pateret nulla, qua fieri di- ceremus, ut profundioribus urethrae cryptis ea materia ingeneretur eundemque morbum ad eas transmitteret.

§. 6.

Decursus morbi.

Morbus blennorrhoeicus quatuor percurrit stadia, quae sunt, infectionis, initii morbi, inflammationis et prosluvii.

Stadium primum sub ipso impuro coitu primordia capit, finitur vero, cum signa pro- pria morbi incipientis in conspectum veniunt. De aditu veneni ad internam urethrae cavi-

tatem inter medicos dimicatur. Statuunt nonnulli, urethram tubuli capillaris instar agere et contagium ex inquinata vagina muliebri exsugere, alii autem resorptionem veneni ope vasorum absorbentium in glandis membra virilis orificio iacentium amplectuntur; alii denique vaporem squalidum et diffusibilem ex genitalibus foemineis morbo siphilitico infectis in urethram transvolantem accusant; nos vero venenum sub forma puris aut muci ex conspurcata vagina in urethram, coitu rigidam et apertam protrudi nulli dubitamus asserere. Id ibi haerens initio unam aut alteram cryptam muciferam afficit, cogitque venenatum mucum secernere. Contagium sic auctum plures glandulas corripit vicinasque partes successive inflammans blennorrhoeae signa sensim producit, quibus comparentibus secundum stadium initur.

Primi huius stadii decursus non eodem apud omnes aegrotos temporis spatio continetur, sed constitutionis ob diversitatem, ob maiorem minoremve contagii virositatem et ob alias saepissime incognitas conditiones nunc diutius extrahitur, nunc paucis diebus absol-

vitur. Afferunt exempla, quae morbum primo et secundo jam die doceant erupisse, alia contra illum ostendunt per viginti octo dies occultum mansisse. Opinio qua primum stadium longius si producatur, mitiorem, citius vero decurrentis saeviorem morbum indicare autuant, falsa censemur.

Signa huius stadii exceptis levibus, volatilibusque ictibus in uno alterove urethrae puncto initio quidem nulla fere inveniuntur, aegerque nisi sub finem ejus ex majori in venerem proclivitate et genitalium quadam tensione, calore et pruritu, morbum qui jam in intimis haeret, adesse non suspicatur. Secundo ineunte stadio orificio urethrae in glandis apice initio lympha tenaci conglutinatur, postea vero una et altera guttula muci ex urethra exprimi potest, tandemque sponte humor mucosus, albescens, puriformis ex ore ejus minime copiosus exstillat ac aegroti indu-
sium flaviuscule colore tingit. Quibus auctae secretionis cum signis labia orificii urethrae simul tument, et rubent, ipsa urethra titillat et prurit, urinam licet paucam, frequentius tamen excernere aeger stimulatur. Urinam

expulsam ardores et dolores primo moderati sed in diem intensiores et novae mictionis necessitas sequuntur, membrumque saepius, noctu praecipue, non sine ingrato sensu erigitur. Haec sunt signa orientis inflammatis, quibus stadium tertium plerumque viginti quatuor horis post eruptionem mali praeterlapsis, orditur.

Celeberrimus Pet. Frank primum et secundum in unum invasionis stadium minus accurate conjicit, egregie vero monet, symptomata hujus stadii in aliis individuis alia reperiri.

„In quibusdam“ inquit *), „vix aliquid, „praeter unicam puriformis materiae guttulam in ore urethrae haerentem, comparet; „ac leviori sub caussa, malum, hoc solo jam „stadio contentum, post paucos modo dies ab- „solvitur. In aliis, non multis, majori scili- „cet morbi sub impetu, nec primo, nec alio „in stadio secretio in urethra augetur; sed in „sola istius inflammatione, eaque ob majorem „violentiam sicca, aegritudo consistit.“

Rarissimum profecto hunc casum esse putamus, quem, nisi in stadio ultimo saltem

prosturum existat, Blennorrhoeae verae accensere nequimus.

Stadium inflammationis seu tertium cum ardore sub mingendo ac nisu in expellenda vel pauca urina crescentibus tertio plerumque vel quarto die orditur. Os urethrae ^{**) magis} magisque nunc rubet et riget; dolor saepe per omnem urethrae longitudinem ad perinacum usque extenditur, et membrum virile in apice potissimum calet; cavum urethrae angustatur, nec lotium, nunc magis etiam tinctum, aequabili, indiviso rectoque rivo effluere sinit; erectiones frequentes, dolentes, imprimis per noctem, dorsoque decumbentibus, succedunt, sub quibus urinae excretio ad parturientis quasi mulieris nisus ac labores aegrotum cogit. Pollutiones sub his membris virilis tensionibus violentis, spasmodicis, sub somno contingunt, aut vigili etiam, sed rarius tamen, voluptatis expertes et miserias aucturae, subinde obveniunt. Jam vero major humoris puriformis quantitas per urethram continuo sed praecipue matutinas sub horas profunditur, qui humor, saepe cum sanguine mixtus, flavas potissimum, atque subvirides

in linteis maculas relinquit pertinaces. Mucus effluens diversae qualitatis et copiae omnino reperitur, foetoris tamen atque acritudinis ejus culpam impuritati squalidorum aegrotorum magis tribuimus, quam cum clarissimo Frank majori morbi vehementiae et phlogosi. Quod autem ille observat, aliquando totum per morbum effluentem humorem retinere colorem album, id nos quoque confirmatum damus. Modus, quo inflammatio in organa secretoria universe agit, in hoc etiam morbo animadvertisit: acutior illa et vehemens secretionem suppressit, mitior auget. Leniter itaque omnia mala incipiunt mucusque largus stillat, inflammatione autem crescente secretio et muci effluvium imminuantur, caeterique cruciatus ingravescunt. Glandulae inguinales et testiculi nunc tument et dolent, aeger febri correptus lectum petere saepe cogitur. Sub placida quiete et apto vitae regimine inflammatio paulatim decrescit, molestiacque aegrum cruciantes fiunt mitiores, sed muci fluor adaugetur, qui ubi jam largiter et citra doloris paene sensum stillare incipit, stadium morbi annunciat quartum. In contrario casu, sub

conditionibus decremente morbi minus faventibus, inflammationeque a frigore videlicet admisso, vel adstringentium injectionum ab usu, nova venere, masturbatione, exercitio violento, calefactione corporis a potu spirituoso majorem ad gradum adaucta, hic fluxus suspenditur et crudelissima mala hanc suspensionem sequuntur.

Inflammatio totam urethram usque ad bulbum vesicae et ipsam vesicam et glandulam prostatam corripit, membrum inflat curvatque et anum spastice tenesmi modo contrahit. Ophthalmitis blennorrhœica interdum quidem sed rarissime accedit, et sane nunquam, nisi materia inficiens antea ad oculos transierit. Non promptius unquam ac nunc feratur auxilium, quum abscessus, paralyeos vesicalis, gangraenae, mortis itaque praesentissimo cum periculo excretio urinae in totum supprimitur. Quod celeberrimus Frank ***⁾ sibi animadversum affirmat, interdum plures per urethrae longitudinem glandulas lymphaticas tumere et dolere, posteaque suppuras ac in illam aperatas, tot impuros ac patulos urinae abscessulos fistulasque scroti, perinæi constituere, id

nobis etiam reperire oblata occasione licuit. Stadium hoc blennorrhoeae urethralis inflammatorum, tam vehementia, quam diurnitatem molestiarum pro dispositionis, sensibilitatis, habitus universi et complicationis ratione diversum, nunc brevius mitiusque est, nunc ad octo decemve aut quatuordecim dies extenditur, utpote longiorem sub vivendi medendive ratione perversa in moram protrahendum.

Aegroti, qui pluries id morbi genus experti sunt, lenius quidem affici videntur, sed diutius plerumque laborant, sequelis tardo passu et insensibili fere modo ingredientibus et longum post temporis spatium etiam ercentibus, in quibus tantum nomino flacciditatem membra et facultatem ejus erigendi amissam, praecipue vero condensationem membranae internae urethrae, qua sic dictae stricturae urethrae, maximum urinae ejaculandae impedimentum, gignuntur.

Stadium quartum seu prosluvii puram morbi propriamque formam nobis communistrat. Sub leniori ardore, doloribus et mengendi nisu in diem decrescentibus, denique evanescentibus, muci effluxus respectu con-

sistentiae, coloris et copiae diversi perdurat. Humor, qui initio puriformis et colore plerumque ex flavo in viridem vergente tinctus fuerat et sat copiose effluxerat, nunc albumini ovi similis guttatum stillat; dein unius guttulae instar in orificio urethrae haeret; donec tandem labia glandis tantum conglutinet. Morbus, huc ubi perventum est, non efficacia contagii sed relaxatione tantum organorum secerentium perseverat, et vim inficiendi amisit.

Neglecto per hanc periodum morbo relaxatio aliud efficit secundarium malum, quod blennorrhoeam secundariam seu inveteratam et chronicam medici nominant, cum stadio tamen quarto, quod diximus, minime confundendum. Etenim morbus in hujus quartae periodi initio se vertens virositatem inficiendi que facultatem non amisit, ut quibus viribus secundarium hoc malum omnino careat.

*) Joan. Pet. Frank de curandis hominum morbis epitome, L. V. de profluviosis pars I. Manheim 1794. p. 154.

**) Vid. P. Frank. I. c.

***) I. c. p. 157.

§. 8.

Complicationes morbi.

Natura morbi et inflammationis gradus a caussa quidem specifica ac constitutione corporis habituque pendent, nihilo secius tamen in quolibet propemodum casu multis conditionibus forte accedentibus mutantur. Sunt praecipue alii morbi in genitalia agentes ad mutandam blennorrhoeae formam efficatissimi, sive illi jam ante infectionem adfuerint, ut haemorrhoides, calculus vesicae etc.; sive sub ipsa infectione aut ea jam facta ad morbum erumpentem accedant, ut ulcera venerea, rheumatismus, spasmi, alii. Inflammationis acrioris sequelae, Chorda, Bubones, Phimosis, Paraphimosis, et omnia praeputii vitia, testicularum et prostatae tumor multaque alia mala, pro complicati morbi signis haberi minime debent. Complicatio morbi quae illa cunque sit primitivum malum difficilium curabile reddit, symptomata ejus auget et in deteriorem partem vertit; ideoque nullam non attentionem afflagitat.

Generaliora quaedam signa quandoque occurunt, quae ubi videmus complicatio-

nem blennorrhoeae cum alio morbo statuimus.

Sunt haec :

- a) irregularis morbi decursus.
- b) aegri cruciatus in simplici blennorrhoea incogniti et inconsueti.
- c) vehementia symptomatum caussae mere contagiosae et universalis corporis habitudi parum consentanea.
- d) Morbi perseverantia supra suetum quod alias implet temporis spatium longe protracti.
- e) Morbus ubi sub idoneo vitae regimine efficacissimis remediis pertinaciter resistit, complicatio ejus cum alio morbo occulta valde timenda est.

Quibus sub signis medico cavendum, ne falsa praedictione spem aegroti fallat, malaque curandi methodo damnum illi afferat, quae ut evitet in omnia praecedentia et totam morbi historiam oportet respiciat.

§. 9.

Prognosis.

Ut medicus spatium temporis, quo blennorrhoea urethralis siphilitica absolvitur, de-

cursum ejus, exitumque recte praedicat, pericula vero ex ea timenda praevideat et bene amoliatur, ad sequentia illum jubemus attendere:

- a) aegri habitum ac constitutionem, sanitatemque, qua ante hanc infectionem fruitus est; praeципue autem perpendiculariter morbū prima vice intrantem gravius aegrum afficere, quam secunda vel tertia.
- b) Citiorem tardioremve decursum ac maiorem minoremve gradum et vehementiam inflammationis.
- c) Morbi complicationem.
- d) In aegroto vitae conditionem, consuetudinem et mores.

Morbus simplex per se minime periculosus non interrupto per sueta stadia decursu facile curatur, complicatus vero aut male curatus gravem ac periculosam speciem induit.

Pars secunda.

Annotationes ad blennorrhoeae curandae methodum.

§. 1.

Annotationum scopus et institutum.

Ne fines transgrediamur dissertationculae, nec res aliis scriptoribus melius jam prolatas repetamus, de tribus tantum remediis, scilicet de injectionibus in blennorrhoea urethrali siphilitica admittendis, de adhibendo mercurio et de ceraeolorum applicatione, disputabimus.

§. 2.

De injectionibus.

Injectiones sub rectis indicationibus contra blennorrhœam institutæ in remediis bonis et efficacissimis omnino numerandæ sunt, incaute vero adhibitæ maximum damnum infe-

runt. Vituperandi itaque illi medici sunt, qui in qualibet morbi periodo et in quolibet casu, neglectis omnibus aliis rebus et circumstantiis, hoc remedium unicum quasi solatum amplectuntur.

Triplicem in applicandis injectionibus rationem habemus, nempe ut venereum venenum illico post coitum impurum eluamus; ut perfecta inflammationis periodo sensibilitatem ex ea relictam et auctam obtundamus, tandem ut relaxatas partes constringamus.

Usus injectionum ad sedandam inflammationem, medicis profecto parum expertis exhibitarum, maximopere vituperandus et obdamnum exinde oriundum cane pejus et angue vitandus est.

Ad eluendam post coitum urethram aqua pura et tepida optimum praebet remedium. Experimenta Doctoris Caroli Eichrodt *) Bandensis, quibus acido muriatico diluto sic dicto viridi, seu aqua vaporibus acido - muriaticis viridibus impraegnata, injectionum ope adhibito, venenum post ipsam statim infectionem in ipsa urethra destruere conatus est, medicorum attentionem jure meritoque ad se tra-

hunt. Injectiones ex solutione plumbi acetici cum opio maximi aestumatae ac commendatae nunquam nisi in stadio morbi quarto laudabiles; ad hanc vero periodum morbo redacto, optimum omnino in iis remedium esse nos quoque judicamus.

Decocta adstringentia ex cortice quercus, radice tormentillae et aliis, quibus alumen, zincum sulphuricum et similia remedia admissentur, in morbo secundario et contra relaxationem commendanda sunt. Partes relaxatas exsangues et torpidas interdum inventimus, ut remedio aliquo leniter corrodente ad vegetandum eas haud raro indigeamus, quo in casu mercurius corrosivus seu Hydrargyrum muriaticum corrosivum optatis respondebit.

*) Vid. Salzburger medicinisch - chirurgische Zeitung.

§. 3.

De adhibendo Mercurio.

— De mercurii usu in blennorrhoea siphilitica inter medicos lis est, aliis blennorrhœam

non ex contagio venereo ortam credentibus, aliis hanc quidem originem affirmantibus, sed a se invicem ita discrepantibus, ut una pars, quum morbo utpote mere topico, topicis tantummodo remediis mederi velit, mercurii usum rejiciat, altera contra universalis morbi exinde periculum extimescat, ideoque mercurii obtrectatoribus repugnet, ejusque applicationem ut necessariam defendat.

Quam litem quamvis haud nostrum sit derimere, mercurius tamen ut remedium antiphlogisticum efficacissimum, quo periculum universalis morbi simul depellitur, largiter ut porrigitur suademos.


§. 4.

Loco injectionum medici et inter illos praecipue Hecker medicus olim celeberrimus applicationem ceraeolorum solubilium commendarunt. Superfluum hoc remedium in blennorrhœa acuta judicamus, quum interea ad inveteratam inflammationisque expertem sanandam præstantissimo usui sit.

Ceraeolo simplici ter quaterve in urethram morbo affectam demisso pertinacem blennorrhœam inveteratam fugari videmus. In casu idoneo pertinacissimoque ceraeoli etiam solubiles beneque compositi usum eximium absque dubio praestare possunt.

Corrigenda.

- P. 7. l. ii. leg. venerenum.
- 10. l. ii. leg. unus quidem.
- 12. l. ext. leg. affectionibus.
-



tatem inter medicos dimicatur. Statuunt nonnulli, urethram tubuli capillaris instar agere et contagium ex inquinata vagina muliebri exsugere, alii autem resorptionem veneni ope vasorum absorbentium in glandis membra virilis orificio iacentium amplectuntur; alii denique vaporem squalidum et diffusibilem ex genitalibus foemineis morbo siphilitico infectis in urethram transvolantein accusant; nos vero venenum sub forma puris aut muci ex conspurcata vagina in urethram, coitu rigidam et apertam protrudi nulli dubitamus asserere. Id ibi haerens initio unam aut alteram cryptam muciferam afficit, cogitque venenatum mucum secernere. Contagium sic auctum plures glandulas corripit vicinasque partes successive inflammans blennorrhoeae signa sensim producit, quibus comparentibus secundum stadium initur.

Primi huius stadii decursus non eodem apud omnes aegrotos temporis spatio continetur, sed constitutionis ob diversitatem, ob maiorem minoremve contagii virositatem et ob alias saepissime incognitas conditiones nunc diutius extrahitur, nunc paucis diebus absol-

